DE

ABSCESSUUM PSEUDO-LYMPHATICORUM PATHOLOGIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PATHOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE XXX. MENS. APRILIS A. MDCCCXXXIII.
H. L. Q. S.
PALAM DEFENSURUS EST

AUCTOR
THEOPHILUS BERGER
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:
L. HOLSCHUHER, MED. ET CHIR. DR.
C. JEHN, MED. ET CHIR. DR.
J. WEIHE, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

ORNATISSIMO ET ILLUSTRISSIMO

F. L. TRUESTEDT,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, REGI BORUSSORUM A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS, SUPREMI COLLEGII AD REGENDAS RES SACRAS ET MEDICAS ET INSTITUTIONEM PUBLICAM SODALI, ORDINIS AQUILAE RUBRAE, ET CRUCIS FERREAE EQUITI ETC. ETC.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quod in dissertatione mea de parum adhuc illustrata re scripserim, excusare meum est. Tiro et in praxi medica parum expertus hoc thema aggredi non ausus essem, nisi, sententias eorum, qui de re tractaverunt, collegisse, laboris fructus mihi visus esset, et nisi ex larga viri Illustrissimi Trüstedt experientia observationibus benevolenter et candide mihi communicatis traditisque auxilium latum esset. Huic igitur praestantissimo viro non possum, quin maximas meas gratias pro insigni erga

me benevolentia publice habeam; vos vero, lectores benigni, virium mearum debitam rationem et respectum habeatis, indulgenterque, in quibuscunque dissentiatis, judicare velitis, quaeso.

Favete!

Pus (1 et 2) est illa natura sua pellucida, parúm consistens, flavi cum albó mixti coloris materia liquida, quae e parvis sphaericis globulis constans, nec acida, nec alcalina, calore, spiritu vini et acido concrescit, alcali eorumque conjunctionibus subcarbonicis acidulis partim solvitur, partim in materiam gelatinosam commutatur, atque album en, principium extractivum, adipicereo materiam similem, natron, pluraque salia, praecipue natron muriaticum et phosphoricum continet; quamvis illa inflammatione oriatur, atque tantum sufficienti

(1) Berzelius, üb. thierische Chemie, im Schweiggerschen Journal für Chemie und Physik, Band XII. S. 330.

(2) Gruithiusen, naturhistorische Untersuchungen über den Unterschied zwischen Eiter und Schleim. München 1809.

ejus gradu (1 et 2), plerumque in tela cellulosa formetur; accidit tamen, ut illud locis, quae inflammatione non labaravissent, permigrando et transferendo colligatur. Quod enim aliis organis formatum venis et vasis lymphaticis resorptum in alio loco remoto, cui anatomice seu physiologice conjunctum est, seu secundum ponderis legem deponi potest. Sic abscessus, metastatici et congestionales gignuntur. Nihilo minus abscessus oriuntur, quamquam nullum corporis organum inflammatione erat affectum, in quibus primum in morbi decursu inflammatio incipit. Ad hunc ordinem forte pertinent abscessus scrofulosi et pseudo-lymphatici — quo verbo uti mihi licitum sit —, de quorum genesi ex tempore Beinlii magnum fuit certamen, Philippi a Walther hoc abscessuum genus illustrasse est meritum (3). Symptomata, quae ab eorum ortu et decursu provocantur et

---

(1) Thomson, über die Entzündung. Aus dem Englischen von P. Kruckenberg.

(2) Gendrin, histoire anatomique des inflammations. Paris et Montpellier. 1826.

(3) v. Walther, über die wahre Natur der Lymphgeschwülste in seinem Journale für Chirurgie und Augenheilkunde. Band 1. S, 585 u. f.

quatuor stadia accurate distinguenda percurrunt, si naturae viam et decursum naturalem sequantur, haec sunt.

SYMPTOMATOLOGIA.

I. Stadium prodromorum. Symptomata, in hoc stadio observata, universalia sunt. Aegroti ciborum appetentiam perdunt, difficiliores morosioresque redduntur, facilioribus laboribus fatigantur, somno inquieto vexantur, vagantibus doloribus cruciantur, atque nonnullis corporis locis, quibus plerumque oriuntur abscessus, sensum injucundum percipiunt. Quibus symptomatibus aliquamdiu peractis, ruit morbus in

II. Stadium secundum, illud abscessus oriundi. Initio tumor formatur parvus, ejusdem ac cutis coloris, indefinitus, fluctuans, non dolorificus, aegroto tantum pressionis seu ponderis sensum efficiens. Qui abscessus, quales plures saepe initio eodem tempore et variis locis oriuntur, frequentissime in regione inguinali, in femore non procul a trochanteri majore, in planta pedis, in scapulis,

manus dorso et thorace occurrit; quamvis aliis locis, quid dicam? in humani corporis cavitatibus etiam formentur. Fluctuant, ut jam dixi, tumores, ex quo oculis se ostendunt, quamvis eorum situs et tegumentum e. g. fascia lata fluctuationem obscuriorem et difficiliorem interdum reddat. Artis auxilio et ope non allatis morbus transit in

III. stadium tertium, id est cutis inflammationem. Tumor amplificatur, saepenumero ad magnum volumen, fluctuatio distinctius sentitur, cutis e rubro pallet, et dolorem aegroto ciet. Rubor extenditur in partes affines, augetur, cutis extenuatur, et scinditur. Symptomata generalia quidem augentur, sed febris hoc in stadio non necessarie accedit. Abscessu aperto exorditur

IV. stadium quartum seu stadium febris hecticae. Cute scissa impurus, flavus, paulo tenax et sedimentosus latex erumpit, qui secundum analysin chemicam Professoris Fuchs lymphae, quod ad ejus elementa et ad chemicam reactionem attinet, valde dissimilis est, sed cum pure bene congruit. Materia fluida illa, dum interna abscessus

pars in pejorem et profusam suppurationem transit, brevi tempore praeterlapso pejoris conditionis est, atque inter illam et pus, quod e congestionis abscessu erumpit, nullum discrimen. Simulac abscessus natura seu arte aperitur, partium affinium musculi pallescunt; tela cellulosa in membranae mucosae non dissimilem substantiam commutatur (1), et ossa, quae adjacent, carie afficiuntur. Abscessus saepenumero igitur in ulcus fistuloso-cariosum mutatur. Quo in morbi stadio febris hectica adest, quae primum febris hecticae intermittentis tertianae, postea remittentis formam prae se ferens, denique vehementibus colliquationibus per cutem et tractum instetinalem conjuncta est.

Aetiologia. Medici veteres cognoverunt abscessus pseudo-lymphaticos atque curaverunt sicuti abscessus frigidos, donec Beinl (2) eam ma-

---

(1) v. Walther, über die Balggeschwülste in seinem Journale Band IV. S. 397.

(2) Anton Beinl von einer eigenen Art Lymphgeschwülste und der zweckmässigen Methode, dieselbe zu

teriam, quam hi tumores contineant, lympham esse dixerit, atque iis nomen malum »abscessus lymphatici« tribuerit. Secundum sententiam Beinlii, J. A. Schmidtii (1), Rustii hi tumores lente extravasatae lymphae in telam cellulosam seu sub aponeuroses oriri dicuntur. Vasa lymphatica vulnerata, atque lympha ex iis erupta horum tumorum causa esse feruntur. E Beinlii theoria morbus, cujus fons dycrasia quaedam, e. g. scrofulosa, rhachitica, rheumatica, arthritica est, dispositione quidem effici potest, ut autem concepta vasorum lymphaticorum dilaceratio verisimilior fiat, causam occasionalem eorum semper externam, mechanicam seu traumaticam vulnerationem, externe adhibitam, quamvis parvam, vim e. g. contusionem, vulnus etc. esse contendit.

Jacopi (2) hanc sententiam in dubium vo-

---

heilen. In den Abhandlungen der medicinisch-chirurgischen Joseph-Academie. W. B. II.

(1) J. A. Schmidt über den Grund der Tödtlichkeit der Lymphabscesse in derselben Schrift.

(2) Jacopi. Operationi e sperienze fatti nel instituto clinico di chirurgia de Pavia nel anno 1812 — 13. Vol. II.

cat; nec autem hanc sententiam falsam esse praeclare demonstrans, nec meliorem theoriam in ejus locum edens (1). A. Walther, primum praeclarissime hujus theoriae levitatem et falsitatem exposuit et argumentis refutavit. Ut de hac re verbis ipsius (2) dicam:

„Die Lymphgeschwülste sind Abscesse aus Theilen, wo die Natur eine Entzündung hervorzubringen strebte, aber diese wegen zu geringer Lebensthätigkeit der Organe, wegen zu tief gesunkener Nervenkraft und Plasticität des Blutes nicht hervorbringen kann: daher nun dem Anscheine nach der Effect ohne die Ursache eintritt. Warum sollte es überhaupt nicht auch eine Eiterung ohne Entzündung (nämlich ohne die Phänomene der Entzündung) geben? da es ja doch einen Brand ohne Entzündung und eine Erhärtung ohne Entzündung giebt."

„Es giebt eine purulente Diathese, wel-

(1) v. Walther, in der angeführten Schrift. Band I. S. 585.

(2) v. Walther in der eben angeführten Abhandlung S. 603 u. f.

che noch nicht genau beschrieben, und von den Schriftstellern nach Gebühr gewürdigt worden ist. Bei derselben erzeugen sich die grössten und inhaltreichsten Abscesse an Theilen des Körpers, die früher nicht entzündet waren: — der Eiter scheint sich im Blute und aus dem Blute zu bilden, bis zur gänzlichen Consumption der ganzen Blutmasse."

»Gemäfs des Vorhergehenden ist die Lymphgeschwulst das Product einer krankhaften Secretion, ihr Inhalt ist keine natürlich vorhandene, nur aus zerrissenen Gefäfsen austretende Flüssigkeit, sondern das Erzeugniss einer krankhaft bildenden Thätigkeit.«

Wedemeyer (1) cum Waltheri sententia consentiens, plures tumores, paulo fluidam, atque, si leviter observabatur, ei abscessuum pseudolymphaticorum similem materiam continentes, qui vero valde ab iisdem differunt, e. g. hygro-

---

(1) Wedemeyer, Bemerkungen über die Lymphgeschwülste im Journale für Chirurgie und Augenheilkunde v. Graefe u. v. Walther. Bd. V. 606.

mata et bursarum mucosarum inflammationem hisce adnumerat. Idem cariem et necrosin, quae lentam inflammationem et suppurationem telae cellulosae, sed nullo modo abscessus pseudo-lymphaticos efficere possunt, causam esse non recte putat.

Langenbeck (1) Walthero assentitur, attamen tumorem in cubito observatum, qui saepe a locali causa, saepe sine ea ortus, in olecrano residet, atque claram lymphaticam materiam cistae inclusam continet, pro abscessu pseudo-lymphatico pendit. Chelius (2) jure contradicens, hunc tumorem, hydropem bursae mucosae esse putat.

Ekl (3) abscessus pseudo-lymphaticos pro extensis atque vitiose secernentibus bursis mucosis habet.

---

(1) Langenbeck, Nosologie uud Therapie der chirurgischen Krankheiten. Bd. II. S. 117. ff.

(2) Chelius Handbuch der Chirurgie B. I. S. 11.

(3) Ekl, Bericht über die Ergebnisse in dem chirurgischen Klinikum zu Landshut 1829.

Chelius (1), qui Walthero sententiam suam de hac re adscribit, pus e sanguine ipsa intra vasa secerni, atque sanguinem per se in pus commutari posse, veritati non congruens esse credit.

Trüstedt (2) exprimit sententiam suam hisce verbis: »Die Natur bedurfte zur Ausgleichung ei- »ner durch unbekannte Ursachen veranlafsten Stö- »rung der Mischung einer Ausscheidung von Stof- »fen, und bediente sich zur Erreichung dieses »Zweckes der von ihr bald an dieser, bald an »jener Stelle gebildeten Eiterungsprocesse. Eine »durch die ihr eigenthümliche Symptomengruppe »deutlich bezeichnete Entzündung, der gewöhn- »liche Vorläufer solcher Eiterungsprocesse, ging »hier derselben nicht voran; die durch die eigen- »thümliche Störung der Mischung bedingte grö- »fsere Geneigtheit zur Eiterbildung mochte die- »selbe wohl entbehrlich machen. Wenn nun

---

(1) Chelius, in der eben angeführten Schrift. S. 11.

(2) Trüstedt, Diathesis purulenta bei einem Kinde, in der medicinischen Zeitung des Vereins von Preussen. B. Monat. Ap. 1833.

»aber hiernach auch eine deutlich manifestirte »Entzündung nicht wahrnehmbar war; so ist es »mir doch nicht wahrscheinlich, daſs nicht eine »dem Entzündungsprocesse wenigstens verwandte »Reaction in den krankhaft afficirten Stellen Statt »gefunden haben sollte; auch dürfte die oben be- »schriebene der Eiterung am rechten Knie längere »Zeit vorhergegangene schmerzhafte Anschwel- »lung mit Bestimmtheit dafür sprechen.«

Quamvis Waltheri sententiam, quae ea Trüstedtii, Chelii et aliorum virorum in genere est, comprobem; tamen nec inflammatione vera, nec inflammationi cognata reactione loca, in quibus abscessus pseudo-lymphatici nascantur, laborasse, sed naturam in formandis his abscessibus similes leges, sicuti in tuberculorum formatione sequi, atque hos abscessus pseudo-lymphaticos nullo modo, ut illa, inflammatione consistere putare velim. Utrum materia morbo producta in sanguine, ut a Walther putat, gignatur, et quibus conditionibus hoc fiat; an aër, tempestas, alimenta, dispositio haereditaria aut dyscrasiae quaedam vim et qualem ad producendam habe-

ant; nec decernere nec dijudicare audeo. Tantum hoc experientia est confirmatum, hos abscessus pseudo.-lymphaticos aetati cuidam, infantibus etjuvenibus, proprios esse, iisque maxime imbecilles, cachecticos homines, scrofula aliisque dyscrasiis affectos laborasse; quamvis, sed raro, apud robustos, fortes et adultos homines inveniantur. Senectuti et aetati virili fere alieni. Foeminae ad hos abscessus formandos viris inclinatiores sunt.

Diagnosis. Hi abscessus

I. cum iis, qui e topica inflammatione pendent, et inflammatorii nominantur, commutari possunt. Ab hoc autem differunt ortu, decursu, aetiologia, atque ea re, quod saepissime in variis corporis partibus occurrunt, facile et sufficienter, ita ut difficile cum iis commutentur.

II. Accedit autem, ut pro congestionis abscessibus habeantur; in qùibus pus in altius sito organo, cujus partes tum molles tum durae labo-

rant, formatum ponderis lege ad illum tumorem, quem oculis nostris observare possumus, quod puris est receptaculum, adducitur.

III. Item abscessus pseudo-lymphatici a criticis et metastaticis abscessibus sunt diversi, quia pus in organo morbo affecto, jamque per aliquod tempus vexato genitum secundum leges, quas hucusque mente cogitationeque comprehendere non possumus, in locis remotioribus depositum priorem topicum morbum vel lenit, vel imo delet.

IV. A veris abscessibus lymphaticis, quorum existentia, quamvis rarissime occurrant, nequaquam negari potest, differunt:

1) aetiologia. Illi enim vasis lymphaticis mechanice vulneratis, persectis et corrosis oriuntur; abscessus pseudo-lymphatici autem, ut jam dixi, sine ulla causa topica gignuntur.

2) Latex, quem abscessus lymphatici continent, est pellucidus, flavidus, valde fluidus, constat

e sero, salibus et aqua (1), facile spissatur, atque ejus coagulum sanguini est simillimum; abscessibus pseudo-lymphaticis autem materia, ut supra demonstravi, alius coloris, atque nullius coagulationis inest.

3) Abscessus pseudo-lymphatici vel una variis locis vel subinde oriuntur; quod in abscessibus lymphaticis non invenitur.

4) Symptomata morbi generalia, quae, ut symptomatologia docet, abscessuum formationi praeeunt, atque ad febrem hecticam, quae fere semper mortem ciet in initio stadii quarti, increscunt; in abscessibus lymphaticis autem ante eorum originem, si alias aeger bona valetudine gavisus est, non inveniuntur, atque in seriori decursu tantum, postquam per longum tempus lympha effusa atque adjacentes partes ad malam suppurationem ductae sunt, febris hectica oritur. A Walther et Wedemeyer saepissime amputationibus factis, bubonibus inguinalibus arte seu natura aper-

(1) Rudolphi, Grundriss der Physiologie. Bd. 1. S. 155.

tis vasa lymphatica magna persecta et magnam lymphae copiam sine ulla sanitatis perturbatione ex illis effusam esse commemorant.

5) Abscessus lymphatici fere tantum topicis et localibus et saepe sponte sua, quia vasa lymphatica inflammationi valde sunt idonea, curantur; abscessibus pseudo-lymphaticis talis therapia paulum tantum prodest, atque nequaquam illa sanantur, sicuti experientia et theoria docent.

VI. Abscessus scrofulosi, quibus in decursu similiores sunt, ab iis differunt:

1) symptomatibus generalibus. Homines offerunt his affecti habitum scrofulosum, urinam mutatam, in qua secundum Berzelii analysin principium azoticum minuitur, sed carbonicum et oxygenium augetur atque acidum oxalicum gignitur.

2) Abscessus scrofulosi sunt, ut nonnulli viri putant, principio saepius duri, definiti, interdum initio non fluctuantes a peripheria diffluunt;

floccis caseosis mixtam materiam fluidam fundunt, ulcera specifici characteris formant, atque curati propria cicatrisatione prae omnibus excellunt. Cutis in abscessu scrofuloso ex-livido rubescentis coloris est, sed in abscessibus pseudo-lymphaticis ejusdem ac caetera cutis.

VII. Hygromata, secundum Wedemeierum eandem naturam habentia, valde diversa sunt. Ea nempe initio sunt parva et tarde majus volumen assequuntur, formae rotundae, omnino definita atque ipsa sunt mobilia et locomotionem patiuntur. Latex, quem continent, ut Wedemeyer ipse dicit, clarus, pellucidus, lymphae similis, in seriori decursu foetidi odoris et puri malae indolis aequalis est. Quibus e causis nullam cum abscessuum pseudo-lymphaticorum secreto similitudinem ostendunt. Hygromata partim mechanica vulneratione, contusione, partim affectione rheumatica et propriae indolis dyscrasia procreantur, atque plerumque in artibus, e. g. in olecrano, in patella occurrunt.

Prognosis. Quamquam haec in genere

non opportuna atque priori tempore fere semper lethalis putabatur; attamen e variis rationibus pendet:

1) E constitutione, qua homines hoc morbo laborantes praediti sunt. Nam si valetudo jam a cachexia seu dyscrasia atque ab aliis morbis infirmata sit, infelix exitus exspectandus est; contrarium melioris est ominis.

2) Ex aetate. Quod ad illam spectat, juvenis morbum faciliori labore superat; in infantili aetate abscessus celerius atque facilius quidem sanantur; nihilo minus autem abscessus iterum iterumque gignuntur.

3) E morbi symptomatibus generalibus. Si febris hectica adest, exitus adversus, nisi lethalis, est timendus. Sin accidit, ut principia, quae morbum adduxerunt et alunt, naturae et artis labore et ope per cutem, renes et intestina secernantur, nec secreta illa fines transgrediantur, aegrotus et medicus a convalescendi spe merito teneri possunt.

4) Ex abscessuum sede. Si in organis, quae ad vitam servandam absolute non necessaria sunt, nec quorum suppressa seu impedita functio conditiones ad vitam servandam tollit, gignantur, melior exitus exspectari potest; si autem abscessus in pectore, in abdomine et in cranio formatur, exitus lethalis fere semper sequitur. Non melioris est ominis, si in locis hi formantur, ubi puris descensus vitari nequeunt.

5) E stadio abscessus atque secreti natura. In primo, etiam tum in secundo multum; in tertio vero et quarto fere-nihil est sperandum. Si pus ichori simile, atque pessimae indolis est, vix convalescendi spes adest.

6) E complicatione locali. Si abscessus cum carie, praecipue artuum, complicatus est, si partes adjacentes in malam suppurationem transierunt, atque si abscessus in ulcus fistuloso-cariosum transmutatus est, fere est desperandum.

Exitus I. in sanitatem. Qui sequitur omnium exoptatissimus et felicissimus, si abscessus et dia-

thesis purulenta seu remediis seu naturae ope sanantur. Restitutioni in integrum fere semper secreta critica, quae conditiones, a quibus abscessus formantur, tollunt, per cutem, tractum intestinalem et renes praeire solent. Secreta critica, quae vera naturae molimina ad sanitatem restituendam nominari merentur, cum illis, quae a febre hectica genita ad ejus symptomata pertinent, non sunt confundenda. At critici ominis sunt, si morbi symptomata generalia et localia, etiamsi secreta illa saepe nimis profusa aegroti vitae periculo esse videantur, in meliorem statum mutantur, febris diminuitur, vires augentur, cibum aegroti appetunt, bene et quiete dormire et abscessus sanari incipiunt, et abscessuum nova formatio non observatur. Cum vero pendent secreta illa a febre hectica, topica et generalia symptomata contrarium ostendunt. Materia liquida pejoris indolis et odoris et ichori similis fit, ossa, quae abscessibus subjacent, carie afficiuntur, atque abscessuum regio magis magisque degenerat. Simili modo symptomata generalia in pejus ruunt, aegroti vires sudoribus et diarrhoea symptomatica consumuntur, et

quid multa? omnes infaustissimi exitus prodromi praeclarius procedunt.

Abscessus ipsi partim resorptione, quamquam rarissime et tantum in secundo morbi stadio occurrit, partim suppuratione, quae bonam granulationem adducit, partim inflammatione parietum adhaesiva.

II. In partialem sanitatem. Dum diathesi purulenta curata novi abscessus non oriuntur, saepenumero accidit, ut praesentes abscessus omnibus remediis adhibitis ferociter repugnent, atque iis sanatis organorum, quibus abscessus inerant, functiones ossium carie aliisque morbis perturbentur. Et evenit, ut quidem abscessus brevi temporis spatio purgentur; sed novi iterum iterumque gignantur.

III. In mortem. Hic omnium infaustissimus exitus pendere solet:

1) e febri hectica. Quam non virium consumptione, profusa suppuratione adducta, sed aliis

conditionibus oriri putare velim. Conditiones, dum morbo producta materia illa diluta a venis absorpta ad cor perducitur, dum aëri adeundi copia est data, atque nervorum conjunctio inter abscessum et sensorium servata nec laesa est, ad hanc procreandam quarto in morbi stadio datae sunt. Et ex his causis, ut credo, febris hectica primum in quarto morbi stadio exoritur.

2) Mors etiam cietur, si haec materia liquida in corporis cavitatem quandam effunditur. Si in pectus profunditur, aegroti, sicuti infans, cujus morbi historiam Trüstedt loco supra citato narrat, sub empyematis symptomatibus moriuntur; si in abdomen, et in cranium, aegroti morbo, qui puris effusionem sequatur, supremum diem obire solent.

3) Lethalis exitus producitur, si a pure arteria dilacerata sanguinis profluvium efficit, quod nec externe, nec interne adhibitis remediis, nec ligatura, nec compressione, nec cauterio actuali et potentiali, quia vasorum situs seu alia causa hoc impediat, coerceri potest.

4) Supremum diem etiam morbi subsequentes e. g. caries, suppuratio prava et profusa partium, quae adjacent, adducunt.

VITAE CURRICULUM.

Ego, Theophilus Berger, Oldendorfiae, Hassiae oppido, anno hujus saeculi nono patre optimo, medicinae doctore, quem jam per tres annos emortuum lugeo, matre carissima e gente Knipping, quam Deo favente adhuc veneror superstitem, natus, confessionique evangelicae addictus sum. Primis literarum rudimentis Vlothoviae, quam urbem brevi tempore post partum meum pater domicilio delegit, imbutus, Gymnasium, quod Rintelii floret, adii, et per duos annos frequentavi. Dein autem Bilefeldam petii, ibique per annum unum literis humanioribus

vacavi. Testimonio maturitatis ornatus anno MDCCCXXIX ab Ill. Rohling, Rectore Magnifico, civibus universitatis Monasteriensis adscriptus, per sex menses philosophicas, nec non medicas praelectiones adii: Logicen, et psychologiam Ill. Esser, chemiam Ill. Bodde, physicen experimentalem Ill. Rohling, osteologiam, anatomiam Ill. Wutzer et Ill. Tourtual, qui etiam in arte cadavera rite dissecandi duces mihi fuerunt, me docuerunt.

Tempore paschali anni MDCCCXXX ad hanc almam musarum sedem Berolinensem me contuli, ubi a Beat. Hegel in civium academicorum numerum receptus has scholas medicas et chirurgicas frequentavi: Encyclopaediam et methodologiam medicinae, physiologiam et anatomiam universalem Beat. Rudolphi, botanicen, naturae historiam, pharmacologiam et toxicologiam Ill. Link, therapiam et pathologiam specialem et generalem

et medicinae historiam Ill. Hecker, chirurgiam Ill. Rust, morbos syphiliticos Ill. Horn, artem formulas concinnandi Ill. Casper mihi tradiderunt.

Anno MDCCCXXXI in universitatem literariam Herbipolensem profectus sum, in qua sub Rectore Magnifico Ill. Seiffert has praelectiones audivi: Ill. Schoenlein de pathologia et therapia speciali, Ill. D'Outrepont de arte obstetricia, nec non in scholis clinicis medicis Ill. Schoenlein mihi dux fuit.

Tempore paschali anni MDCCCXXXII Berolinum reducem in civium academicorum numerum a Rectore Magnifico Ill. Marheinecke receptum in gratiosi ordinis medicorum album Decanus Beat. Rudolphi me inscripsit. Clinicum chirurgicum duce Ill. Rust, ophthalmiatricum, duce Ill. Jüngken, nec non medicum duce Ill. Bartels atque policlinicum

medicum et chirurgicum duce Ill. Trüstedt practicando per annum frequentavi. Hic etiam Ill. Busch artis obstetriciae et theoriam et praxin me docuit.

Omnibus his viris, Illustrissimis atque Celeberrimis, summe de me meritis, gratias quam maximas habeo, semperque habebo.

Tentaminibus et examine, quod dicunt rigorosum, rite superatis, spero fore, ut dissertatione et thesibus defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Inflammationes stadia non percurrunt.

II.

Auditus non minus, quam visus sensus est exercendus.

III.

Haemorrhoides et arthritis eandem originem habent.

IV.

Abscessus lymphatici existunt.

V.

In hydropericardia arteriae et cordis pulsus variat.